

20.453

Siempre a las 4 y media y a las 9.







Foll. 20.453

LOCORUM THEOLOGICORUM

THESES

PUBLICO DISCRIMINI VERTIT

D. IOSEPHUS LUIS , ET MIRA,  
ORCELENSIS ACADEMIAE COLLEGIO-SEMINARII

IMMACULATAE DEIPARAE

TOGATUS ALUMNUS.

PATRONO

D. D. ANTONIO VIDAL , ET JUAN,

PRESB. EIUSDEM SEMINARII ALUMNO , OLIM PHILOSOPHIAE,

NUNC LOCORUM THEOLOGICORUM CATHEDRAE

MODERATORE.

*Palaestra Oriol. Templ. SS.VV. et MM.  
Iustae , et Ruffinae.*

DIE 6 MENSIS *Junii* ANN. DOM. MDCCLXXXVII.

MURCIAE:

---

Apud VIDUAM Philippi Teruel , Via Lintearia.





M. J. JOHNSON, CHEMIST, ST. LOUIS, MO.

# MEMORANDUM

TO: THE DIRECTOR, BUREAU OF CHEMISTRY, U. S. DEPARTMENT OF COMMERCE

FROM: M. J. JOHNSON, CHEMIST, ST. LOUIS, MO.

SUBJECT: ANALYSIS OF [illegible]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]

[illegible text]



MAXIMO ECCLESIAE DOCTORI

HIERONYMO

IN AETERNUM AMORIS PIGNUS

PLACITA HAEC D. O. C.

*E*xim si Patro quaer oport  
ius nus atur, et;

*E*greg que bo quique et tue et or

*M*agnani Doct prud Hierony ads  
mus, or, ens, mus tat;

*M*axi et terr poll acerri ins

*D*ogm haeret gladi qui umbra ster  
atis ici us, cula nit.

*P*lasm et Scyth pi haec obsta tem

*H*uic grac The et pect nost dic  
iles ses, ora ra amus.

*H*uic frag mes et rob nost sacr



MAXIMO ECCLESIAE ROTOMONI

HIERONYMO

IN AETERNUM AMORIS TIGNIS

PLACITA HAEC D. O. C.

Adm. si Parisi  
ms. 112  
ms. 113  
ms. 114

Greg. pas bo  
ms. 115  
ms. 116

Magnani Doct. Hierony. ad  
ms. 117  
ms. 118  
ms. 119


M. et terr. accerit  
ms. 120  
ms. 121  
ms. 122

Dogm. haeret. gladii qui unibra  
ms. 123  
ms. 124  
ms. 125

Plasme et Scyth. haec obsta  
ms. 126  
ms. 127  
ms. 128

Huic grae. The. et post. no. nost. die  
ms. 129  
ms. 130  
ms. 131



  
**LOCORUM THEOLOGICORUM**  
*numerus, indoles, et natura.*

I **Q**uosdam SS. Ecclesiae Patres aperuerunt fontes Theologis ad suas exinde conclusiones proliciendas, hauriendaque, quibus eas fulciant, argumenta, inservituros: hosce fontes Locorum Theologicorum nomine exornamus.

II Ex vastis SS. Patrum voluminibus eos in unum locum Melchior Canus redegit, maiorique etiam claritate illustravit.

III Placuit proceri huic, Sacrae Theologiae fontes denario numero complecti, nimirum Scriptura Sacra, Christi Domini, et Apostolorum Traditiones, Sacrosancta Concilia, Catholicae Ecclesiae consensus, Romani Pontificis iudicium, auctoritas Sanctorum Patrum, Doctorum Scholasticorum, ac Iuris Pontificii, Historiae tum Ecclesiasticae, tum profanae, Philosophorum, et Iureconsultorum, humanae demum rationis.

IV Locum ab auctoritate, praeprimis Divina, aut in ea fundata, adeo sibi proprium Theologia vindicat, ut rationes naturales ex aliis scientiis, vel auctoritate pure humana petitas in suum obsequium adsciscat.



## SCRIPTURA SACRA.

I **U**ocone , an serio Religionem ipsam Athei pessudent , non capio ; eam enim natura duce haus-  
runt omnes , traxerunt , arripuerunt.

II Sed heu ! ratione caligante , destituta revela-  
tionis face Religionem ecquis illibatam servari posse,  
arbitratur ? Nemo rationis compos.

III Divina revelatio Scriptura Sacra compre-  
henditur ; Qua fronte , O bone Deus ! nonnulli a  
genio malo inspiratam esse ariolantur ?

IV Immensus forem , si quot , quantisque titulis  
Scriptura a SS. Patribus insignitur , recenserem : Iccir-  
co naturam eius hac definitione : *Verbum Dei exa-  
ratum in sacris Libris* , complectimur.

V Sacrae Scripturae libri alii Legales sunt , alii  
Historici , Prophetici alii , alii denique Sapia-  
les.

VI Opacam mentem , ingeniumque habet demer-  
sum humeris , qui hosce libros supposititios esse,  
blasphemat.

VII In his , quae ad fidem , moresque spectant,  
absque labe libros omnes reperies : nec mirum : Iu-  
daei ipsi Christianae Religionis iurati hostes ad usque  
superstitionem verborum Legis , et Prophetarum cor-  
ticem servarunt.

VIII Melanchtonis blasphemiam Deum mentiri pos-  
se , et saepe saepius ore proprio mentitum fuisse effu-  
tientis , terra sonat , et aether.

IX Quamvis coelum , et astra ruant , veritas  
Divina consistat , necesse est : ergo eodem labuntur

sce-



scelere , qui absoluta potentia , aut per internuntium mentiri posse fatentur.

X Divina auctoritate Scriptura pollet , utpote exarata virtute Dei fallere , fallique nescii , loquentis.

XI ¿ Sed quid ? ¿ Scriptorum arbitrio verba ipsa relicta sunt ? minimè : singula Spiritus Sanctus suggessit concinnè , et aptè ad uniuscuiusque sufficientiam.

XII ¿ Mirum quò se recipiant miseri recutiti , ut Scripturae auctoritatem e medio pellant , et respuant ! Exprobrant omnium primo obscuritatem , qua usi fuerunt ipsi Ethnicorum Dii , ut vel hoc pacto dictis , et pronunciatis suis admirabilitatem conciliarent : opponunt salebrosa , et implexa loca , in quibus eliquandis Delio semper natatore sit opus. Haec sunt numero nimis multa a Fausto , et Adimanto undecumque corrassa , quibus distinctè reponere prae temporis angustia non possumus ; idcirco quae Cl. Melchior Canus secundo de L. Theol. lib. II. et XVI. capite , ac Petrus Annatus secundo Apparatus libro , XII. et XIII. cap. feliciter extricant , seligemus , quibus pro modulo nostro tenebimur satisfacere.

XIII ¿ Quis inficias ibit , principalem auctorem esse supremum Numen Scripturarum , minimè vero homines , qui solum , ut instrumenta , Biblia Sacra scripserunt ?

XIV Canonis voce Sacrorum librorum Indicem appellamus. Triplex est : Iudaeorum alius , alius Catholicorum , et alius haereticorum.

XV Libros viginti duos , nec plus , nec minus,  
te



et priscis , et his temporibus Iudaeorum Canon complectitur.

XVI Ab Assyriis vineta Iudaica gente , Bibliorum reliquias in unum corpus collegit Esdras , quaeque censurae erant obnoxia , repurgavit.

XVII Eliminatam dic penitus sententiam illam , quae universam Scripturam cum Urbe , ac Templo Hierosolymitano flammis devorata fuisse fabulatur.

XVIII Quovis Ecclesiae saeculo hos libros tum Veteris , tum Novi foederis Catholicorum Canon complectitur : Pentateuchum Moysis , Iosue , Iudices , Ruth , Regum libros quatuor , Paralipomenon , duo , Esdrae , et Nehemiae duo , Iob , Psalterium CL. Psalmorum , Proverbia , Ecclesiasten , Canticum Canticorum , Prophetas maiores quatuor , duodecim minores : Matthaei , Marci , Lucae , Ioannis , Evangelia , Apostolorum Acta , Epistolas D. Pauli , ad Hebraeos dempta , duas Epistolas Canonicas , scilicet , Petri unam , Ioannis alteram.

XIX Apud hodiernum Catholicorum Syllabum audiuntur illi omnes , quos Tridentinum sessione IV. recenset. ⁊ Eosne scire cupis ? iussi loquemur.

XX Theologorum omnium corona teste , plures Codices , qui nunc extant in Bibliorum sacro volumine , canonicos non fuisse olim , affirmamus.

XXI Ad ravim usque digladiantur haeretici in assignando librorum Canone. Quod hic asserit , reprobatur iste ; ille , quod alter inficiatur , propugnat ; quod uni optimum , absurdum alii videtur. Tanta est discordia fratrum.

Ve-



XXII Veteris Testamenti libri a Iudaeis recepti in Hebraea lingua primum lumen hauserunt, si Danielem excipias Chaldaeorum lingua exaratum.

XXIII Testamenti huius Originales Graecorum lingua donati fuerunt, Matthaei Evangelio dempto, Paulique ad Hebraeos epistola, quae syriace prodiit in auras.

XXIV Hic Textus circa fidei, morumve regulas interpolatricem manum desiderant. Ergo nulla omnino menda, nec levia errata amplectuntur? ieiuna nimis illatio.

XXV Circa Graecarum veteris Testamenti versionum numerum Cl. Iuen. iudicium proferam, measque coniecturas adnectam.

XXVI Honoris palma potitur versio, quae Interpretum LXX. communi voce appellatur; accepit lumen Alexandriae, Ptolomaeo Philadelpho Aegyptiorum turbam moderante.

XXVII Absdubio quaeres; quo anno incoepa fuerit haec versio? hoc opus, hic labor: incertum omnino esse fatemur; sed tempus in ea allaboranda assumptum indigitabo.

XXVIII Pentateuchum non solum, sed omnes libros LXX. senes vertere: ast quomodo? Singuline singulis reclusi cellulis, an potius omnes inter se conferentes?

XXIX Curiosum aliud quaesitum, quod multorum torquet ingenia: placet Iuen. eam inter se conferentes adornasse; confecta res est; non oppugnemus.

XXX Criterium esse versionem istam in defini-

nien-



niendis Fidei dogmatibus , Moribusque dirigendis, tam certum est , quàm quod certissimum.

XXXI Latina lingua longè , latèque , dominante Urbe , disseminata , plures utriusque foederis prodire ex Graeco fonte versiones.

XXXII Eas inter primas obtinuit Itala , quia verborum tenacior erat cum perspicuitate sententiae.

XXXIII Versionis huius vestigia vix modò reperies , si pauca excipias in Vulgata nova relicta.

XXXIV En vela ad Vulgatam nostram directa. Veritas os reserat , et invitam linguam conscium ad loquendum pectus impellit. Hieronymus ergo 70 ferme annorum spatio aliarum sphalmata versionum animo revolvens , Hebraea volumina Latino sermone transtulit , laboreque summo Latiorum codices ex Graeco fonte emendavit ; sed quid ad omnium palatum ? interroga.

XXXV A catholicis omnes sibi pro suo arbitrio Scripturam fabricantes circumrosam Vulgatam nostram propalant ; immemor haud sum Tridentini decreti , ut eorum sibilis acquiescam.

XXXVI Tridentina Synodus authenticam versionem istam declarans , Hebraicos , Graecosque fontes in suo pretio reliquit.

XXXVII Authentica pollet Latina versio , eo quod ab archetypo in fidei , morumque placitis non discrepet : intellige ; erratis momenti levis scaterere arbitramur.

XXXVIII Bibliorum versiones vulgari lingua ex-  
ra-



7  
ratas omnibus promiscuè legere nec iussum fuit, nec prohibitum.

XXXIX Verùm rudibus, et ignaris, iis etiam, qui virili pollent acumine, ratione circumstantiarum interdicerè Ecclesia valet, ne venenum pro melle sumant, uti vellent heterodoxi.

XL Plures in Scriptura contineri sensus serena fronte Kemnitiùs negat, pigmentis variis suum errorem excolit. Sed quid impie semina arenae mandas?

XLI Nec surdo cecini: Plures sub eodem loco litterales sensus, ni obtusae mentis, invenies.

XLII Sed Species Scripturae sensuum desideras? in litteralem, mysticum, et accommodatitium communi Catholicorum voce partitur.

XLIII Mysticum Scripturae sensum in Allegoricum, Tropologicum, et Anagogicum resecabit, qui Biblia primis labris gustarit.

XLIV Derident stolidi, cachinnisque Sanctos Patres excipiunt, qui Accomodatitium sensum usurparunt; depudent sane, et petulantia summa alloquuntur.

XLV Scripturis ergo absque labe erroris Accomodatitium sensum adscribe. Utilia nimis praecepta ad id muneris exequendum reserabo.

XLVI Ex relato sensu ineluctabile duci non potest argumentum ad fidei, morumque principia elucidanda.

XLVII Nonnulla Scripturae capita vel caeco obvia sunt, et luculenta; in tenebrarum verò caligine alia plura involvuntur.

In



XLVIII In arenam descendo Scripturae gladio munitus , in littera totus haereo , quae clara est, haud obscura.

XLIX ; Sed haereticos in re obscura nos adorientes Scriptura captabis ? Nunquam , etiamsi et dorsi , et humerorum , adhuc etiam ingenii vires intenderes.

L ; Discretionisne iudicio de quo praesumunt , qui talpae sunt , excaecati a vesania , et errore , in quibus supini iacent ? Minimè , fremat etsi Lutherus.

LI Tribunal in hac lite Ecclesiae Rectores sunt, quibus Deus concessit praeclarius lumen illo , quo perperam gloriantur Lutherus , Calvinus , eiusdemque furfuris blaterones.

### *CHRISTI DOMINI , ET APOSTOLORUM Traditiones.*

I ; **Q**utinam huic regulae stare vellent Lutherani ! hoc enim vel uno loco firmiter asserto , corruat necesse est, non Lutheranus tantum , et Calvinianus error , sed et quisquis unquam proscriptus est.

II Traditionis nomine verbum Dei intelligimus viva voce immediatè a Christo , vel ab Apostolis, Spiritu Dei insufflante , ad nos derivatum.

III Traditiones aliae ad disciplinam , caeremonias , externamque politiam Ecclesiasticam , aliae ad fidem , et moralis Christianae regulas spectant.

IV Hasce Traditiones nullo unquam tempore reiecit Ecclesia , nec reiiciet ; illae vero mutari possunt,  
sunt,



9

sunt , neque omnes , iis etiam , quibus vigent , temporibus , ubique observantur.

V In primo Naturae statu Traditiones sartas tectas Novatores ipsi relinquunt ; nullo enim scripto verbo Divina fides innitebatur.

VI Hebraei quoque Traditionibus adhaesere , a Moyse Scriptore primo in aurem acceptis , et ab ipso in Tribus omnes remeatis.

VII Ipsarum necessitas huiusce legis principio luce clarior adparet : non tabulis , non membranis , sed chartis cordium Apostoli doctrinam Dei consignabant.

VIII Ludam operam , si quotquot dogmata a Lutheranis ipsis Traditione sola firmata , vellem hic minutatim recensere. Ergo rationi simul , et veritati opponuntur , Divinas Traditiones aetate nostra eliminantes.

IX Obganniunt haeretici , Traditiones spurias genuinis intermisceri , nec has ab illis criterio ullo discerni posse , ut fideles tuto , et absque labe erroris dirigantur. En regulas , quibus petulantiam horum retundas.

X Haud Divina est , sed humana Traditio illa , cuius initium , licet in tota Ecclesia servetur , aut in decretis summorum Pontificum , aut in Conciliorum Canonibus , aut in statutis Patrum reperitur.

XI Humana est , non Divina , non tradita , sed inventa doctrina , quae in una tantum particulari Ecclesia servatur.

XII Haud Divinum est , sed humanum dogma,  
b quod



quod in ipsa vetustate duorum , aut plurium fulcro , immo et Urbis alicuius , aut unius Provinciae consensu contra alias Ecclesias omnes comprobatur.

XIII Doctrina totius Ecclesiae tutata dextra , licet in Bibliis sacris desideretur , ex Divina fluit Traditione.

XIV Doctrina , cuius nec vestigium in Scriptura extat , velut Divina quacumque aetate ab Ecclesia admissa , ab ipso Deo proficiscitur.

XV Praxis continuata serie ab universa Ecclesia servata , quaeque solum Deum habere potest institutorem , ex Apostolica descendit Traditione.

XVI Ab eodem emanant fonte , quae in tota Ecclesia , nulla eius praeeunte lege , observantur , etiamsi instituta esse a potestate humana potuerint.

### *SACROSANCTA CONCILIA.*

I **C**ongregatio Praesulum Ecclesiae ad fidei , morumque lites finiendas Synodus a Graecis , a Latinis vero Concilium dicitur.

II Concilium aliud generale , nationale aliud , tertium provinciale , et quartum denique dioecesanum.

III Prioribus tribus saeculis in speluncis Ecclesia latitante , Oecumenica Concilia non fuerunt celebrata : Dioecesana vero quamplurima soli animarum Pastores convocarunt.

IV Sedatis inde persecutionibus , Imperatores Christiani Apostolorum exemplum imitati Ecclesiam



siam coegerunt , et in Orienti octo priora celebrarunt.

V Canit Lutherus , Concilia haec imperiali iure collecta ; testes mendacii huius Imperatores ipsos habemus.

VI Orienti succedit Occidens , in quo undecim convocasse Pastores Romanae Ecclesiae , Historiarum fulcro affirmamus.

VII En paucis saeculorum omnium consensu auctoritatem Papae ad convocanda Concilia , quam usurpatam Reformati omnes vociferarunt.

VIII Nonnulli excipiuntur casus , in quibus R.R. Pontifices iure carent generalia Concilia convocandi.

IX Dioecesanae Synodi a loci Ordinario , Provinciales a Metropolitanis , Nationales a Primatibus convocari debent.

X Principibus non licere ferre in Conciliis votum , docuit exemplo suo Arianus Rex Hunnericus.

XI Iratus hic , et invidia Calvinus furens , Primates non solum , sed plebem ipsam , ut causarum Iudicem intrusit. Nugae sunt , eaeque nugacissimae.

XII Iure Divino Episcoporum labiis Concilium clauditur , illique soli decisivi suffragii iure potiuntur.

XIII Nihilosecius Abbates , ac Generales Ordinum ad ferenda suffragia ex privilegio Ecclesiae vocantur.

XIV Iniuriam Calvinus irrogat Imperatoribus,  
quos



quos Synodis quoad directionem praefuisse, audacter nimis, et inconsultè fabulatur.

XV Sed oculos in calcaneo gestat, qui pro tuenda libertate, servandaque in Conciliis pace haud praefuisse autumarit.

XVI Absque ulla dissensionis vola affirmant Catholici, Rom. Pontificem aut per se, aut per Legatos Oecumenicis Conciliis praefuisse semper eum praerrogativa suffragii, et dignitatis.

XVII Ergo iure ordinario praeesse Conciliis debet R. Pont. Pastorumque coetum dirigere, ac gubernare? ita profecto est, ita.

XVIII Synodi Provinciales Divinae non sunt auctoritatis: ergo et fallere, et falli posse certum omnino est, et exploratum.

XIX Verùm turpissimè hallucinantur, qui flocci faciunt has Synodos, earumque decreta rident, et deridenda propinant.

XX Diu, multumque in eliminanda Conciliorum generalium indeficientia A catholici omnes desudarunt, infelici tamen eventu: licèt Dialecticae spinis usi, tribulisque obsitis intacta prorsus reliquerunt.

XXI Lutheri, et Calvini tela adversus IV. vel V. et VI. Synodum generalem, queis coeli convexa tetigisse putant, facili negotio retundemus.

XXII Ruit sua mole alia Calvini machina, in theatrum Concilia adducens, et inutilia humano generi repraesentans.

XXIII Ab exordio enim Concilia vigent, nec potuerunt non celebrari, quin Ecclesia imprudentiae summae argueretur.

Hae-



XXIV Haeresi quacumque oborta , necessarium non est , ut Ecclesia in Generalem Synodum convocetur.

XXV Haeresi verò serpente , ut cancro , Nationes integras , Sedes Episcopales plures , et insignes absorbente , tunc certè necessaria est Oecumenici Concilii celebratio.

XXVI Sunt alii etiam casus , qui Synodi Generalis celebrationem postulant , de quibus , ad ostium stamus , pulsa.

XXVII Celebravit Ecclesia ad hanc usque diem Concilia Generalia undeviginti : Nicaee duo , Constantinopoli quatuor , Romae in Laterano itidem quatuor , Lugduni duo , Ephesi , Chalcedone , Vienne , Constantiae , Basileae , Florentiae , Tridenti in singulis unum.

XXVIII Quae in his sunt praecipua capita tum ad fidem , tum ad mores , et disciplinam spectantia non contentiosa , sed placida , brevique oratione prosequemur.

### *VERA CHRISTI ECCLESIA.*

I **I**N id unum collimant Lutherus , et Calvinus , ut castissimam Christi sponsam e medio pellant , et destruant ; servato decore nullo , petulanter Ecclesiam nostram suggillant , probris deturpant , et inani quodam faustu aspernantur , sibi pro suo marte impuras cisternas fabricantes , pro thesauro carbones offendunt , aliisque pro suo virili propinant. Age iam , et eorum cavillos retundamus.

Ec-



II Ecclesia ; quae in terris militat , quaeque ad coelestem Patriam aspirat , communi pene omnium calculo deffinitur ; *Coetus Sanctorum sub uno capite Christo Deo servientium.*

III Reprobos cum electis Ecclesia pascit , et anathematis fulmen Luthero intorquet , primis more suo libellum repudii concedenti.

IV Etiamsi miserè torquearis , Cathecumenos in Ecclesia nunquam invenies , qui ei a nonnullis falsò tribuuntur.

V Ecclesia , ut Sponsa Christi , auro , gemisque ornata refulget. ; Ergo peccatores in sinu eius dubitas amplexari ? Catharorum pane nutries.

VI ; Ecquo verò pacto Ecclesia Infideles occultos amplexatur ? Si in ritibus , in cultu externo , in legibus , in directione Praelatorum perseverent.

VII Egregiè desipiunt , plenis faucibus mentiuntur Calvinistae , publicos haereticos , et manifestos schismaticos in sanctissimo Ecclesiae sinu collocantes : iure ergo Vaticano fulmine protriti iacent.

VIII Genuinis , et veris signis Ecclesia pollet , ut Catholici in ipsa sistant , et Protestantes in sinum eius confugiant , a quo ingrati absque ratione ulla discesserunt ; est enim Una , Sancta , Catholica , et Apostolica , queis a profanis sectis secernitur.

IX Unitatem sponsae Christi irritò conatu labefactari contendit Iurius , quamvis Deos omnes , Superosque in auxilium advocet.

Uni-



X Unitas Ecclesiae ab hisce tribus repetitur , a fide nimirum , sacramentis , et Pastoribus.

XI Sanctitatem Ecclesiae characterem agnosce, etiamsi multi a vocationis fine , et a publica sanctitatis professione defflectant.

XII Catholicae criterio veram Ecclesiam digito ferme , et sine errore demonstramus. ; Mirum quot artes in eo servando adhibuerunt heterodoxi !

XIII Quamvis haereses longè multae eminentiora Regna corruperint , Catholicitatem Ecclesiae propugnamus.

XIV Ierusalem orta Ecclesia , ab Apostolorum tuba nuntiata fuit , et diffusa : legitima Episcoporum serie ad Irenaei tempora , immo ad usque nostra immaculata pervenit.

XV Eò furoris sacrilegum Protestantium genus devenit , ut rivulos suae doctrinae , et Ecclesias suas ab Apostolorum tuba derivent. ; Proh pudor ! eas meretrices puto Simonis Magi , et Menandri.

XVI Sciscitaris ? quaenam societas huiusmodi notas iure sibi vindicare poterit ? Sola Romana : hanc , nullamque aliam dicimus Christi Ecclesiam, extra quam salus frustra quaeritur.

XVII Si coecitatis velum disrumperent Lutherani , absdubio Ecclesiam viderent , quae in solis tentorio posita splendidissima , velint , nolint , apparet.

XVIII Hostes , eorumque minas Ecclesia ridet, telisque , et armis , ceu fluctibus obvia rupes , obstitit.



stit. Ergo nec defecit unquam, nec deficiet, licet  
agitata procellis.

XIX Humeris Ecclesiae fidei, morumve placita innituntur. Quorsum id? Audi. Fallere, fallique nesciam existimamus.

XX Ecclesiae iudicium in factis Dogmaticis infallibile, ne lupi irrumpant ulla parte in ovile Christi, affirmamus.

XXI Infallibilis est Ecclesia in ea, quae modo fit, Divorum Apotheosi decernenda; haud tamen ad eos colendos Divina inducit *fides*.

### ROMANI PONTIFICIS JUDICIUM

I **N** Scenam venit salebrosissima sane quaestio, de primatu nempe R. Pontificis, quae uti hodiernorum haereticorum genio magis arridet, ita et ab iis maiori contentione impugnatur. Primo omnium in D. Petrum suum virus effundunt; eò quòd persuasum illis sit, suprema auctoritate exutum iri R. R. Pontifices, si ea fuerit D. Petrus exutus.

II Nulla D. Petrum auctoritate valuisse, primatum in Apostolos nullum a Christo Domino suscepisse, palmare illis videtur. Surda omnino aure dementiam istam praetereo.

III Petrum reipsa Romae fuisse, quod sub lite adhuc, in qua suas faciunt delicias, ponunt heterodoxi, luce palam ostendam, et propugnabo.

IV Anno Claudii Imperatoris secundo Petrus, meo iudicio, perrexit Romam, quam ad obitum usque rexit, cui tamquam sponsae XXV. annis praefecit.

Er-



V Ergo pro nihilo habemus Lutheri garritus, qui Romanam sedem vitiorum omnium Metropolim, Romanumque Ducem amaris titulis, dictariis, et conviciis ubique explodit, et exhibilat. ; Ecquis non videt R. Pontificem succedere D. Petro cum plenitudine potestatis ?

VI Hancce potestatem in Romano Episcopo quovis saeculo venerata est Ecclesia, et veneratur. ; Quantum haec a Luthero distant !

VII Idem quoque maiores nostri in rebus fidei ad Romanum Pontificem, tanquam ad lydium lapidem, ut vera a falsa secerneretur, confugere consueverunt ; ergo aberrant toto Coelo, qui eius decreta dictariis variis laccessunt.

VIII Pium Papam VI. quem diu Deus Op. Max. sospitem, incolumemque servet, ceu caput Romanae Ecclesiae probabilius Divina fide suscipimus.

IX E vivis Leone IV. sublato, Ioannam Papisam usque ad Petri solium ascendisse, fabella est totum olens Aesopum.

X Episcopi partes sunt, legem, ubi oritur dubium, explicare. Intellige ; quilibet iure gaudet ad fidei, morumque lites finiendas.

XI ; Ast quo in pretio haberi debet Episcoporum Iudicium, cum plures reclamante nullo consentiunt ? licet infallibile non sit, eius tamen, ni evidens sit error, haberi debet ratio.

-0402

C

SANC-



## SANCTORUM PATRUM AUCTORITAS.

I **L**utherus, qui pestes omnes in unam fecit camerinam confluere, ad tribunal citat Ecclesiae Patres, eorumque auctoritatem sus, deque tulit, penitusque conatur abolere. Sed oleum perdidit, et operam. Secus enim auctoritati Sanctorum Patrum honos etiamnum constat, et tandiu, Divino propitio Numine, constabit, quandiu perstabunt in Catholica Ecclesia pietas, fides, ac Religio.

II In Philosophicis disciplinis Sanctorum Patrum auctoritas tantum pollet, quantum consentanea naturae ratio persuaserit.

III Nonnulli Sanctorum Patrum, nec pudet referre, sua aliquando passi fuerunt deliquia; ergo unius, alteriusve de fidei, morumque rebus sententiam ad crism revocari posse fatemur.

IV Nec plurium Sanctorum Patrum auctoritas, aliis de ea re silentibus, certitudinem parit, quae ad sphaeram Divinae fidei pertingat.

V Unanimi Sanctorum Patrum iudicio infallibilem praestamus fidem, ne impio Lutheri vento circumferamur.

VI Opera Sanctorum Patrum saepe saepius evolvi debent, sed cum delectu; quaedam enim cautiones adhiberi debent, quas exponere non gravabimur.

SCHO-



19

*SCHOLASTICORUM DOCTORUM, AC  
Pontificii Iuris auctoritas.*

I **C**hristianorum Religio coelestis est, Divina nititur revelatione, et Ecclesiae auctoritate sacra fulcitur. Ideone cum Luthero Scholasticos, eorumque disciplinam aspernamur? Absit. Haec enim errores omnes insequitur presso pede, subtiliter nodos explicat, tenebrasque veritati offusas dispellit. Neglecta ergo ieiuna Lutheri crisi, quantum auctoritatis illis tribuamus, sequentes prodeunt propositiones.

II Scholastici non numero, sed eorum pondere iudicantur, neque plus valent ad faciendam fidem, quam vel ipsorum ratio, vel auctoritatis gradus exposcit.

III Scholasticos, rabulas melius dicam, qui nulla Scripturarum, ac Patrum notitia tincti, de Sacris, Divinisque ex unius Philosophiae placitis argutantur, deridemus.

IV Plurium Scholasticorum, ex iis etiam, qui Scripturae face, et Traditionis fulcro sua placita confirmant, in quodcumque dogma consensio, aliis ex altera parte reclamantibus, argumentum haud omnino certum suppeditat.

V Unanimis Scholasticorum omnium consensus, si infallibile non praestat argumentum, ea pollet auctoritate, ut illi temerarium sit refragari.

VI Mentem habet chimaeris pastam, qui flocci facit iudicium latum ab Academiis, quae sapientiae, ac eruditionis fama refulgent.

Theo-



VII Theologo praesertim illi, qui ad externam saltem animarum curam destinatus est, maximè utilis, et quasi necessaria est Iuris Canonici notitia.

VIII Dogmata Fidei, et quae de Moribus in Iure ex principiis naturae praescribuntur, ea Iurisconsultis exposita, et enucleata tradit Theologus.

LX Ubi de moribus Ecclesiae et Religionis institutis per leges tantum Pontificias decernitur; item, ubi poenae Iuris praefiniuntur, ipsimet Ecclesiae Iudices Iurisconsultorum sensum amplectuntur.

### HUMANA HISTORIA.

I **E**Um sanè nec dimidiatum quidem Theologum esse, compertum erit, qui caeteris omnibus animo comprehensis, vel hanc unam insalutatam praeterierit. Nonne hodie dum per historiam secernitur vera Ecclesia a spuriis, et adulteris? Si quid obscurum, si quid ambiguum in Scripturis occurrit, nonne Sanctorum exemplis manifestatur? Ita Aug. docet. Ad rem ergo.

II Historici non pauci ex malevolentia, odio, aliove sinistro affectu calumnias, et falsitates, fabulas, et narratiunculas pro veris historiis venditarunt. Ergo nec omnes, nec omnia eorum placita coecis oculis amplectenda.

III Ut verae a fictis historiis secernantur, regulas nonnullas apprime idoneas referemus.

IV Pro nihilo habemus Catholicae Religionis apertos hostes, qui Romanam sedem, eiusque Duces suo calamo fabellis multis foedarunt.

Va-



V Varias narrationes in speciem pias cum eruditus expungimus, eas nempe, quae a simplicitate, et nimio zelo nascuntur, sed non secundum scientiam.

VI Historici omnes, si demas Auctores sacros, et falli possunt, et fallere; nihilominus extra omnium chorum saltare, dementiae nota comburitur.

### PHILOSOPHORUM AUCTORITAS.

I **E**cquis, amabo, probabit unquam Lutheri insaniam, Philosophiam aperto campo impotentis? mihi nusquam probari potest: ea enim roboratur adamantina illa fides, cui superstruxit Christus Ecclesiam suam, nullis ventorum turbinibus, nullis undarum insultibus cessuram.

II Sed nullius roboris in Theologia illa Sophorum placita, quae principiis orthodoxis, et rationi rectae adversantur.

III Philosophi ullius auctoritas communiter haud plus valet, quàm eius ratio; hanc ponderare, prout hìc, et nunc uti cupit, Theologus debet, et ei, si verisimilior sit, adhaerescat.

IV Philosophorum omnium, eorum praesertim, qui orthodoxo nomine salutantur, concors sententia fidem facit Philosophici dogmatis, firmumque Theologo argumentum praebet.

V Civilium Legum auctoritas ab Ecclesia non reprobata, nec a Iure Canonico correctae, potest argumentum, saltem admodum probabile, suppeditare Theologo.

NA-



## NATURALIS RATIO.

I Non Theologum , sed ventosam cucurbitam appellabo , inaccessa mysteria fidei temere ratione humana metientem.

II Ceterum omnem rationis usum a Theologiae foro exulare , teterrima sanè opinio , nigroque cygno simillima.

III Communia principia rationis naturalis certum Theologo argumentum offerunt ; quae alia via, quàm per demonstrationem eliciuntur , probabile.

## PROPOSITIONUM CENSURAE.

I Theologus Orthodoxus , ut suo munere cum optatu fructu fungatur , intimè perspectam habere debet genuinam indolem , diversosque gradus propositionum , quae diversis temporibus ex Orco in orbem adversus Fidei , Morumque dogmata effunduntur : itaque succintam ideam propositionum haereticae , erroneae , scandalosae , blasphemae, piarum aurium offensivae , temerariae , seditiosae, suspectae , haeresi proximae , haeresim sapientis, improbabilis , malè sonantis , et damnabilis , quantumque ad eas concipiendas satis erit , exhibebimus.

En totius anni fruges , humanae Lector ; his ego factum tibi satis opinor. Verum si mea me fallit opinio , scito , nullius me laudibus delectari: nullas me a quoquam vel ambire , vel quaerere,

uti



uti nec tuis flector conviciis absinthio , et felle re-  
spersis , quod , ut credo , procul a te abest.

*Vt. D. D. Ioannes Pont et Tormo, Vic. Gen.*      *Vt. Balaguer, Cens.Reg.*

*Vt. D. D. Franciscus Xaverius Sanchez et Moñino, Pro-Rector, et Praeses.*



ut nec tunc dicitur continere abstinere, et sic re-  
spicit, quod in articulo, procul a te abest.

M. D. D. Joannes Pons et Tormo, Vic. Gen.  
Catholice.

M. D. D. Fructuosus Xaverius Sanchez et Alonino,  
Pro-Rector, et Præses.

Actum in Universitate Regia de Alcala de Henares  
die 10 Junii 1614.

Actum in Universitate Regia de Alcala de Henares  
die 10 Junii 1614.

Actum in Universitate Regia de Alcala de Henares  
die 10 Junii 1614.

Actum in Universitate Regia de Alcala de Henares  
die 10 Junii 1614.

8. 11. 1614